

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
**OFFICIO CHRISTIA-
NORUM REGIO,**

QUAM
SUMMA REV. FACULT. THEOLOGICA
CONSENTIENTE
IN CELEBERRIMA ACADEMIA GRYPHICA,

PRÆSIDE
VIRO MAGNIFICO, GENEROSISSIMO, SUMMEQUE
REVERENDO,

DN. ALBERTO IOACHIMO
de KRAKEVITZ,

S. S. TH. D. ET PROF. PRIM. FAC. SUÆ H. T. DECANO,
CONSISTORII REGII PRÆSIDE, DUC. POMERANIÆ SVECICÆ
AC PRINC. RUGIÆ SUP GENERALI, ACADEMIÆ CURA-
TORE AC PRO-CANCELLARIO PERPETUO,

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO COLENDISSIMO.

DIE XIX. MENSIS MARTII,
ANNO CURRENTE MDCCXXXI.

PUBLICO AC PLACIDO COMMILITONUM SUORUM
IUDICIO SVBMITTIT

AUTOR ET RESPONDENS

IOACHIMUS FRIDERICUS MATZ,
PALÆO-SEDINENSIS,

PHILOSOPHIÆ MAGISTER ET THEOLOGIÆ
CULTOR.

GRYPHISWALDIÆ, Typis C. Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.

oll. diss. A
38, 22

24. d. 188 (22)

PATRIBUS
ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS

CONSCRIPTIS,

VIRIS MAGNIFICIS, GENEROSIS-
SIMO, SUMMUM REVERENDIS,
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTIS-
SIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
DOCTISSIMISQVE,

*Mecænatibus, Patronis & ex parte Præce-
ptoribus suis,
qua par est veneratione colendis,*

In tesseram animi sui, pro omni in se collata Bene-
volentia, grati ac devotissimi, addito voto, ut & porro
Studijs atque conatibus suis faveant,

*paucas has atque exiguas pagellas
dicat ac dedicat*

AUTOR.





Q. D. B. V.

PRÆFATIO.



Vam turpe est & ab omni rationis lumine remotum, hominem esse, & illorum omnium, quibus animal rationale irrationali antecellit, præstantiarum generum esse ignarum, tam inhonestum etiam & christiano indignum esse duco, a Christo nomen sortiri & vel plane nullam, vel non sufficientem de illis, quibus Christus nos donavit, bonis ac officiis notitiam habere; Tanta enim beneficiorum a Christo nobis partorum sunt genera, quanta mortalium intellectus, etiamsi divina luce fuerit collustratus, nunquam exhaurire, nunquam sufficienter cognoscere potest. Quæ cum ita sint, dissertationem quandam elaboraturus, talem hilari fronte elegi materiam, quæ omnibus & singulis certissimo possit esse testimonio, quod magna christianorum, castra Salvatoris ut decet sequentium, sit dignitas atque præstantia, O igitur nos omnes ter quaterque beatos! quotquot nostrum vera fide corporis spiritualis JESU CHRISTI sumus membra. *Sacerdotes*, & quod magis est, *Reges* sumus *spirituales*, cœlesti Regi pie ac sancte servientes. Quid officium christianorum sacerdotale sit, hac vice sicco ut ajunt pede sum transiturus, quia aliorum & doctissimorum & acutissimorum ingeniorum scrutinio satis superque est subjectum, in-

A

vesti-

vestigatum literisque consignatum. Quid multa? egregium haud ita pridem celeberrimus & a me ob innumera in me collata bona in æternum colendus Doctor noster ALBERTUS IOACHIMUS de KRAKEVITZ orbi literato, ingenii sui dedit fœtum, in quo de *Sacerdotibus ac Levitis N. T. sub antiquo fœdere promissis* agens, controversias illas de sacerdotali christianorum officio in utramque partem hucusque agitata, maximam partem excusit. Haud exiguo etiam illam prosequor plausu disputationem, quam egregie doctus quidam Theologiæ cultor JOH. GODOFR. HANTZSCHELIUS, sub præsidio Celeberrimi WERNSDORFFII in lucem edidit ac defendit, *de Regali fidelium Sacerdotio*. Ast quamvis uterque illam, quam sibi elegerunt, dissertationis materiam, solide ac docte ad umbilicum deduxerunt, neuter tamen ex instituto hanc quæstionem ad vivum quasi rese-cavit: *quid sit officium christianorum regium?* Beatus SPENNERUS totum de Sacerdotio spirituali exaravit librum, in quo potissimum loca Novi Testamenti in scenam produxit, eam fortassis ob causam, quia celeberrimo huic Viro placuit, tunc temporis de Sacerdotio christianorum magis, quam de regno, sive regali illorum officio, & forsan de sacerdotibus spiritualibus Novi Testamenti, magis quam de sacerdotibus spiritualibus V. T. differere. Cum autem tam in Veteri, quam in Novo Testamento, & sacerdotale & regale christianorum officium depictum videmus, animum induxi meum ex instituto inquirere: *Quid sit regale christianorum officium?* Duc me igitur ô Rex regum in omnem veritatem, mentemque meam ita per verbum tuum illumina, ut nil nisi verum, nil nisi christiano proficuum cogitem, mediter atque literis consignem.

§. I.

§. I.

Quod omnes omnino homines ex mente ac intentione Summi Numinis regali officio fungi debuerunt, ex ipsissimis Dei verbis, quibus hominum dominio cuncta subjecit animalia, luce meridiana est clarius, dicit enim statim post hominum creationem: *Dominamini in piscem maris & in avem cæli, & in omne animal repens super terra &c. Gen. I. 28.* & quid multa? imago Dei juxta Theologorum sententiam, *secundario* five *minus principaliter* accepta, ut ex KOENIGIO & aliis Theologiæ Systematibus patet, non tantum conformitatem corporis animati cum Dei impassibilitate & immortalitate, sed etiam dominium utile in creaturas irracionales includit, vide KOENIGII *Theologiam positivam Acroamaticam, pag. 75.* Quicumque igitur ad imaginem Dei in terra sunt creati, illi etiam ad regale dominium super bestias creati sunt, & cum protoplasti nostri imagine divina incomparabili præditi fuerunt, vi etiam imaginis divinæ reges quasi fuerunt super animalia irracionales, nam τὸ formale Regis consistit in regimine, sive in regendo. Consentit mecum CHRYSOSTOMUS, Ecclesiæ pater, qui de verbis illis Dei: *faciamus homines;* scribit: Deum per hæc verba velle indicare: quod omnia terrestria dominio hominis sint subiecta, vide CHRYSOSTOMUM *de Providentia, Lib. I. Tom. 5.* & hæc verba fundamento in re non destituta esse, cuius emunctæ naris homini ex conditione imaginis divinæ & speciatim dominii super animalia intellectu est facillimum. Deus enim cunctipotens regnat atque gubernat omnia in cælis & in terra, tam visibilia, quam invisibilia, homo autem debebat Rex esse super ea, quæ in terris sunt & super visibilia, quatenus nimirum ipsi a Deo imperium concederetur.

§. II.

Ut autem imago divina formaliter considerata, post deplorandum protoplastorum nostrorum lapsum, tota amissa, ita etiam hæc dignitas regia, sive regalis super bestias potestas, si non plane amissa, ita tamen est debilitata ac imminuta, ut multum distet ab illa regiminis forma, quæ in statu integritatis obtinuit. Ante lapsum regnabat homo super animalia irracionales, sine sudore, sine labore ac molestia, imo animalia ad nutum hominis

prompta parataque fuerunt ipsi inserviendi, quare etiam LUNDIUS in Libro suo, cuius Tit: *Geistliches Königreich auf Erden* statuit, quod Deus bestias eum in finein facultate loquendi destitutas esse voluerit, ne homini domino suo obloqui possent, loquendoque ei resistent, sed filendo dominio ejus se subicerent. In medio hanc sententiam relinquimus, quotidiana autem testatur experientia, quanto cum labore, quanto cum periculo, illud quod nobis post lapsum domini super bestias residuum, conjunctum est, quare etiam Deus Adamo post lapsum dixit: *Maledicta esto terra propter te, in molestia comedes ex ea omnibus diebus vite tue*, Gen. III. 17, quam molestiam etiam ex parte animalia homini facessunt.

§, III.

Quamvis hæc regalis super bestias potestas, de qua in præcedentibus §§. mentio facta est, ante lapsum magna fuerit præstantia ac excellentia, & post lapsum etiam non omni destituta sit dignitate, ego tamen de officio christianorum regio disputaturus, non illam pro primario habeo objecto, sed spirituale aliquod & longe eminentius christianorum officium, secundum quod omnes & singuli vere in Christum credentes sunt Reges spirituales; & quamvis protoplastis ante lapsum officium hocce regium derogare non sustineam, nisi concedere velim, quod homo post lapsum homine non lapso sit longe præstantior, quod autem magnam præ se ferret absurditatis speciem, cum eo tamen christianorum officio mihi res est, quod nobis imaginis divinæ, proh dolor! amissæ restaurator iterum acquisivit. Johannes enim dicit: *Christus fecit nos Reges & Sacerdotes coram Deo & Patre suo*, Apoc. I. 6. Quid igitur est, de illorum statu plus æquo sollicitum esse, in quem tamen in hac vita non reducemur? Sufficiat, quod Christus nobis omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, sanguine suo efficacissimo, acquisiverit; sufficiat, quod Christus nos omnes ex hoc peccatorum acheronte revocaverit, & quotidie revocet. Reges sumus cum Rege nostro, & regnare nostrum est officium. Uti autem fideles Veteris Testamenti, vi futuri tunc temporis meriti Christi, omnium per Christum partorum beneficiorum fuerunt participes, ita etiam hoc officium regium non solum ad fideles Novi, sed etiam V. Testam. jure meritoque pertinet.

§. IV.

§. IV.

Dicta illa, quibus officium hocce christianorum regum fundamento loco superstruitur, partim in Veteri, partim in Novo Testamento locum habent. Veteris Testam. unicus & palmaris locus exstat *Exodi XIX. 6.* ubi LUTHERUS in versione germ. dicit: *Ihr solt mir ein priesterlich Königreich und ein heiliges Volk seyn.* SEBAST. SCHMIDIUS in Bibliis Latinis: *Sed vos tamen eritis mihi regnum Sacerdotum & populus sanctus.* ABRAHAMUS CALOVIUS in Bibliis illustratis: *Eritis mihi in regnum sacerdotale, hoc est regnum non profanum sed sacrum, cultui meo & sacrificiis addictum.* RUNGIIUS aliique hunc locum interpretantur *de regno religioso & sacro, id est tali, in quo leges, statuta & facta omnia ad gloriam Dei & religionis propagationem sunt dirigenda.* At quotusquisque est, qui non videt, his verbis spiritualem inesse promissionem, illam autem primario intelligendam esse ex *1. Petr. II. 9.* & *Apocalyps. I. 6.* cuius bene cernenti oculo & recte judicanti intellectui est obvium. Et hæc sunt illa loca, quæ in Novo Testam. hic quasi restim ducunt, quorum primus legitur *1. Petr. II. 9.* alter *Apocalyps. I. 6.* Illum vertit LUTHERUS: *Ihr seyd das auserwählte Geschlecht / das Königliche Priesterthum.* S. SCHMIDIUS in versione Latina: *Vos estis genus electum, regium Sacerdotium,* & ita etiam ipsum Græcum loquitur Testamentum, quando dicit *Βασιλειον ἱερατεύμα.* Hunc vero LUTHERUS ita transtulit: *Und hat uns zu Königen und Priestern gemacht / vor Gott und seinem Vater.* Eadem est versio S. SCHMIDII: *Et fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo.* Sed quaeritur hic, cur Petrus invertat verba, dicendo: *regale Sacerdotium,* cum Moses *Exodi XIX.* dicit, juxta fontem *מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים*. CORNELIUS a LAPIDE in Commentario pag. 478. dicit, quia regalis dignitas, quæ apud Judæos perfecta erat, apud christianos imperfectior reddita est. Sacerdotium vero, quod apud eos imperfectum erat, apud christianos perfectissimum regnisque & regibus prædominans evasit. Sed respondeo cum JOHANNES ADAMO OSIANDRO ex Comm. in Pentateuchum, quod multa hic immisceantur, quæ censuram merentur; nam primo nullo fundamento nititur, quod regalis dignitas apud Judæos perfecta, imperfectior reddita sit apud Christianos. Aut enim hoc intelligi-

tur de dignitate regali externa & temporali, aut interna & spiritali; si prius, nulla potest institui comparatio, cum nec Judæi eadem semper regiminis forma gavisi sint, nec apud Christianos eadem semper obtineat, imo! huc omnis illa externa dignitas nihil facere videtur; si autem de posteriori intelligatur, sane ut fideles V. Testam. fuerunt Reges spirituales, ita etiam fideles N. T. citra illam dignitatis imminutionem reges sunt, imo major potius dignitas regalis fidelium N. T. videtur, quam illorum, qui in V. T. spiritali modo sceptrum tenuere, præsentem nimirum in carne Rege nostro Jesu Christo, & ampliori Spiritus S. mensura fidelibus Novi Testamenti concessa. *Secundo*: Sacerdotium spirituale, de quo Deus hic loquitur, non erat imperfectum apud veros Israëlitas, imperabant enim & illi suis vitiosis affectibus, nec permittebant peccatum dominari in mortali corpore. Imo! omnia & singula offerebant fideles V. T. sacrificia spiritalia, quæ a christianis sub N. Testamento viventibus offeruntur; nec videre possum, qua in parte Sacerdotium spirituale V. Testam. imperfectius fuerit Sacerdotio spiritali N. Testamenti. Tandem merito hic monetur, illud Papalem sapere opinionem, quod CORNELIUS a LAPIDE addit; apud christianos Sacerdotium regnis & Regibus prædominans evasisse. Nos inde characterem agnoscimus Antichristi, cujus animus est, supereminere Augustis, coronas calcare, sceptrum mutare; siquidem eo ipso prodit, sese illum esse, qui se extollit super *πάντα βασίλεια*. 2. Thes. II. 4. Eandem mecum & cum OSIANDRO inflat tibiam ABRAHAMUS CALOVIUS, dicendo: quemadmodum fideles in N. T. regale sacerdotium dicuntur, ita iidem in V. T. quoque dicti sunt, nam & illi offerebant sacrificia spiritalia tanquam sacerdotes, vincebant hostes spirituales ceu Reges. Quotus igitur quisque est, qui trigam hanc dictorum sacrorum iuxta trutinam, ut decet, pensitat, cui non facillimum intellectu sit, Deum dictis hisce indicare velle: fideles, nullo habito respectu ad prærogativam cujusdam officii, & sacerdotes & Reges esse spirituales.

§. V.

Dictis hisce biblicis in scenam productis, quærimus: *quid sit*

sic officium illud regium, circa quod in dissertatione hacce & meditando, & scribendo versor? Definitionem hujus officii si desideras & illam hic Lector benevole, oculis tuis subjicio. Est ergo officium christianorum regium ea fidelium praestantia & excellentia, vi cujus post amissam per lapsum concreatam regiam dignitatem, per Christum redempti, justificati, & Spiritu Sancto donati, dominantur (sive regnant) super semetipsos, super mundum & mundi principem, imo super omne, quod ad hujus principis regnum spectat, mortem atque infernum.

§. VI.

Ne silentio praeteream ea quae dicenda omnino sunt, inquirendum est, quanam juxta praemissam definitionem sint subiecta illa, quibus haec regia dignitas inhæreat. Illa incredulos & infideles homines esse, nemo nisi a throno veritatis plane dejectus affirmabit, ejusmodi enim fumus reges, qui oleo Spiritus Sancti & ipso Spiritu Sancto a Christo Salvatore nostro unguimur. Quis autem dicere non erubesceret, Deum impios ac incredulos speciali illo amore amplecti, ut illis ipsum Spiritum Sanctum inhabitantem donet? Nam quam diu homo non est conversus, tam diu est hostis ac inimicus Dei. Quam diu est inimicus Dei, tam diu cor ejus non Spiritus hujus habitaculum, sed homo diaboli est mancipium. *Eph. II. 2.* Nulli igitur alii, hoc sensu, reges sunt ac dicuntur, nisi a Deo conversi, regeniti ac sanctificati homines, qui vera ac salvifica fide Christum ejusque meritum amplectuntur, & ut christianos decet, sponte vestigia Salvatoris sui premunt. Quod haec res ita sese habeat, etiam patet ex antecedentibus verbis, quae proxime *versum 6. Cap. XIX. Exodi* praecedunt, in quibus Deus sub ea conditione, populo Israëlitico regnum sacerdotale promittit, si nimirum ipsi dicto audientes essent foedusque non frangerent, quando dicit: *si audiendo audiveritis vocem meam & custodiveritis foedus meum &c.* Et si hoc etiam ex Novo Testamento quis probatum velit, evolvat Apocalypsin, ubi Johannes Theologus v. 5. idem adstruit, dum prius dicit, quod Christus nos amaverit & sanguine suo a peccatis mundaverit, quam christianos reges ac sacerdotes pronunciat. Quoscunque igitur Christus amat & sanguine suo a peccatis mundat, illos facit reges; atqui vere in Christum credentes a peccatis sanguine suo mundat.

mundat.

mundat. Ergo etiam soli in Christum vere credentes sunt reges spirituales.

§. VII.

Consideratis hac ratione a Christo creatis & factis regibus, consideremus etiam necesse est, quo sensu reges spirituales regnare dicantur: Certe ridiculum plane & absolum foret, si quis ad regiam hanc dignitatem provocans, regum terrestrium thronos omni effuso pudore ascendere vellet, imo præceps de illis inopinato in terram daretur, unde autem, non nisi contuso capite & vulnerato corpore surgerent, qualem pœnam etiam illi maximam partem dederunt, qui tempore LUTHERI ex Anabaptistarum grege turbas excitarunt, dum ea hypothese adducti, quod reges sint spirituales, principum ditiones & regna terrena occupare omnem moverunt lapidem. Quid autem de illis sentiendum, qui vana spe decepti, ante consummationem Seculi regnum aliquod CHRISTI visibile expectant, in quo cum CHRISTO, visibili modo officio fungantur regio, uti plurimi ex sic dictis Chiliastis, & excœcati Judæi somniant? Certe stolido Chiasmo sunt dediti, & si de meo sensu judicare debeo, sanis maximopere sunt excipiendi, sperant enim id, quod neque in ratione, neque in revelatione fundamento gaudet; & si ope regalis officii, quod christianis in certo ordine sanoque sensu competere potest, ejusmodi monstra sententiarum parturiunt, omni cogitatione ad id feruntur, ut aliis glaucoma obducant. Dicitur enim hoc officium regium sive regale, non *in sensu proprio ac civili, sed improprio ac spirituali*, quoniam nihil minus renatis, qui non a Deo in thronum regium evecti, licitum est, quam regnum aliquod externum & mundanum affectare velle, spirituales enim sunt reges, spirituale etiam eorum regium est officium. Affirmat hoc AMBROSIVS, quando *Libr. IV. de Sacramentis Cap. I. f. 391.* dicit: *Unusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum, sed spirituale regnum est & Sacerdotium.* Affirmat hoc LUTHERUS *Tom. Jenens. Germ. II. fol 336.* Wir sind alle Könige und Priester / das sind alles geistliche Nahmens / denn du bist eben so wol ein König / als Christus ein König ist / wenn du an Ihn gläubest / nun ist Er nicht ein König / wie die weltlichen Könige sind / wie der nun ein Herr

Herr

HErr ist/ so bin ich auch. *Et Tom. IV. Jenens. p. 490.* Wer den Glauben hat/ der ist ein König und Herr/ über Sünde/ Tod/ Teuffel und Hölle. Et huic sententiæ etiam GLASSIUS calculum adjicit, dum in Philologia S, appellationem regis credentibus metaphoricè tribuit,

§. VIII.

Quamvis autem non omnes christiani vere in Christum credentes, ea præditi sint gloria & dignitate, ut cum Regibus mundanis ac terrestribus, aureum diadema & sceptrum portent, & quamvis non ita, uti Persarum, Indorum & Medorum Reges religioso maectentur cultu, debita tamen & certe longe eminentiori gaudent præstantia, quam qualis de jure est Regum hujus Seculi eminentia. Non enim frustra regium nomen gerunt, neque illis sunt destituti bonis, quæ in spirituales reges cadere possunt, quamvis Regi cœlesti capiti suo ut subditi sint subiecti; regnant nimirum, unde etiam reges dicuntur, si non omnes super populos ac gentes, saltem super hostes perniciosissimos. Quid quæris de regum spiritualium excellentia? ipsum regis nomen magnum est splendoris, dignitatis ac præstantiæ indicium, quippe quod fidelibus non eo tantummodo fine est datum, quia illud inter omnia nomina, quibus fideles in Sacra Scriptura designantur, quasi restim ducit, sed hæc potissimum est ratio, ut sub nomine regio, quod ipse Deus fidelibus imponit, nostram præstantiam ac excellentiam, quibus jam in regno gratiæ dignamur, quasi in speculo contemplaremur, menteque nobiscum agitaremur, quam egregium sit bonum, spirituales coronam in terris portare. Ast quid multis opus est ad demonstrandam christianorum credentium præstantiam nominisque regii excellentiam? amplissimus est testimoniorum & argumentorum campus. En tibi, ut reliqua silentio præteream, ipsum unctiois donum, per quod credentes fiunt reges spirituales, nam licet omnibus & singulis hominibus, unctiois beneficium a Christo sit acquisitum, non tamen nisi vere credentibus applicatur. *Apoc. I. 6.* Quo autem nunc præstantior est unctio, eo etiam excellentiores sunt uncti; fideles autem non unguuntur unctioe materiali seu corporali,

B

porali,

porali, non ungentur physica unctiōe, sive sit defunctorum, *Gen. L. 2. 3.* sive viventium 2. *Sam. XIV. 2.* non miraculosa ægrotorum, *Marc. VI. 13.* sed spiritali. Persona enim ungens est Christus Rex noster unctus, *Apoc. I. 6.* non exclusis reliquis Trinitatis personis, quippe quæ ad quodlibet opus externum concurrunt. Unguentum vero est Spiritus Sanctus Paracletus noster, 1. *Job. II. 20.* fit autem unctiō dum Christus a Patre nobis mittit Paracletum, *Job. XVI. 7. Luc. XXIV. 49.* unctiō enim non est gratiæ assistentis, sed inhabitantis, quo sensu nimirum hoc loco unctiō accipitur, non pro donis Spiritus Sancti ministrantibus sed sanctificantibus.

§. IX.

Præmissa officii regii definitione, præmissa subiectorum consideratione, vocis acceptione & unctiōis explicatione, propius ad metam accedo, & ipsum regum spiritalium dominium sum consideraturus. Dixi in definitione præmissa, quod officium christianorum regum triplex includat dominium, inquiram igitur *primo*, quomodo fideles regnent sive dominantur super semetipsos? Ast antequam rem acu, ut ajunt, tango, observatu erit dignissimum, quod dominium super semetipsum post lapsum, probe sit distingvendum a dominio super semetipsum ante lapsum. Si quis in contemplatione officii hujus christianorum regii necessario præsupponat, pravos hominum motus & affectus, durum ac difficile forsā ipsi esset creditu, protoplastos ante lapsum fuisse Reges super semetipsos. Verum enim vero, quemadmodum rex quidam mundanus re vera Rex est, etiamsi non immorigeros & perversos subditos habeat, ita etiam protoplasti ante lapsum, vere fuerunt reges spirituales, & quamvis non inordinati, ordinati tamen illorum imperio subiecti erant motus. Quod reliquum est, etiam inter illos distingvendum esse duco, qui cum labore & molestia, & inter illos qui sine omni labore & molestia dominantur. Non hoc sed illud proh dolor! in reges spirituales post lapsum cadere, tristis docet experientia.

§. X.

Verba illa, quæ præcedentem § claudunt, aperte indicant, reges spirituales hic in censum venientes regnare cum molestia, quæ autem est causa hujus molestiæ? Peccatum molesti hujus
post

post lapsum dominii causam esse, omnes, qui norunt se peccatores esse, uno ore confitentur. Operæ ergo pretium erit, reges hosce spirituales spirituali officio fungentes, alia adhuc ratione contemplari, nimirum quales sint per naturam & quales contrario per gratiam divinam sint. Si naturam illorum penitus inspicere juvat, urbem videmus iniustitiæ, fomitem omnis malitiæ, & multorum malorum fontem, paucis, natura sunt filii iræ, *Eph. II. 3.* sine Christo, ab alienati a politia Israëlis, & peregrini testamentorum promissionis, nullam spem habentes, ad omne bonum spirituale quasi mortui, ad quodlibet contra malum proni & apti. Deus ipse naturam illorum vivis quasi depingit coloribus, quando *Gen. VIII. 21.* inquit: *quod figmentum cordis hominum malum sit a pueritia.* Quam immundus peccaminosus & corruptus autem homo naturalis per naturam est, per gratiam tamen divinam ita convertitur, & regeneratur, ut ex mancipio Satanæ fiat dilectus Dei & ex immundi spiritus subdito, rex spiritualis Deo pie, caste ac sobrie serviens. Ad hanc naturæ & gratiæ differentiam indicandam Scriptura Sacra variis utitur phrasibus, naturalem hominem, qualis natura est, cum depingere intendit, mox *carnem* eum dicit, cui *spiritum* opponit, *Joh. III. 16.* mox *veterem* exprimit *hominem*, cui *novum* opponit. *Eph. IV. 22. 23. 24.*

§. XI.

Non sufficit autem ex sacra pagina intellexisse, quales reges spirituales per naturam, & quales per gratiam divinam sint; sed instituti mei ratio etiam postulat, ut uberius demonstrarem, quomodo & super quos Rex spiritualis spirituali ac regio fungatur officio. Uti ex præmissa definitione constat, primo officio suo regio fungitur supra semetipsum. Quæris autem quomodo rex spiritualis super semetipsum regnet? Scias velim, quod hic respectu animæ tot species regii sint dominii, quot anima rationalis principales possidet facultates, aliud enim est dominium super intellectum, aliud super voluntatem; nam uti quælibet animæ facultas suis laborat morbis ac defectibus, ita pro unius cujusque animæ facultate dominium illud regale est instituendum, intellectus autem & voluntas sunt hæ principales animæ facultates, super quas dominium illud spirituale, quam maxime est ne-

cessarium. Intellectum quod attinet, quem etiam rationem dicere juvat, jure meritoque hanc distingvimus in rationem rectam & corruptam, non de recta, sed de corrupta ratione hic sermo est, recta enim ratio, quamdiu ut recta judicat, ita inter præscriptos manet cancellos, ut imperii adeo severi non indigeat. Recta ratio omnia & singula Sacrae Scripturae mysteria, quamvis sphaeram suam longe lateque transcendant, omnique nexu ex ratione petito, quoad modum existentiae, sint destituta, vera tamen cognoscit & ut talia recipit ac veneratur, hocce nitens argumento: quicquid Sacra Scriptura divinitus inspirata dicit, indubitato verum est. Non autem, pari ratione corrupta ratio judicat, hæc justis limitibus excedit, hæc revelationi divinæ pertinaciter contradicit, hæc omnia etiam divina dicta in quibus nullum nexum, tam ratione existentiae, quam ratione modi, invenire potest, falsa imo falsissima exclamat. Quid igitur consilii capiendum in tali casu adversus hunc rebellem & seditiosam hanc rationem? D. Apost. Paulus nobis optima de nota commendat dominium illud regale & spirituale super hanc rationem, quando 2. Cor. X. 5. dicit: quod sit captivanda sub obedientia Christi. Respexit quoque ad hoc dominium Apostolus Paulus *Ep. IV. 22.* quando non solum monet: Veterem hominem corruptum esse secundum desideria *erroris*, sed ejusdem quoque depositionem serio inculcat; In Epistola vero ad *Col. III. 9. 10.* expelationem veteris hominis ac induitionem novi renovati *in agnitionem* secundum imaginem ejus, qui creavit eum, strenue urget. Omnibus itaque in intellectu residentibus vitiis bellum est indicendum, tenebræ ignorantiae sunt dispellendæ, incredulitas & circa divinæ revelationis veritatem dubitandi proclivitas sunt coercendæ, errores ejiciantur, præjudicia tollantur, unusquisque vero se totum committat institutioni ac doctrinæ Spiritus Sancti, sic mendaciis superatis tandem veritas triumphabit. En Tibi Lector Benevole officium christianorum regum circa intellectum.

§. XII.

Alteram animæ superiorem facultatem, quam voluntatem dicimus, quod attinet, quotidie nobis est occasio, & circa illam
offici-

officium nostrum regium exercendi, ita enim voluntas nostra in se & sua natura est comparata, ut eam merito cum gurgite omnis malitiæ & pravitatis pleno comparemus. Nonne voluntas nostra, quamdiu sibi relicta & nondum emendata est, in quævis devia & præcipitia nos rapit? Nonne ad quævis peccata legi divinæ adversa omni nisu nos instigat ac impellit? Nonne voluntas nostra fons est omnis mali? Legamus quæ Christus Salvator noster de impuro hocce fonte dicit *Matth. XV. 18. 19.* Certe ita voluntas nostra per peccatum proh dolor! est corrupta, ut etiam regenitis & vere fidelibus eum ea, quatenus corrupta & depravata est, quotidie sit colluctandum, nam & in illis, quamvis ex Deo nati sint, & cum Paulo vera fide meritum Christi! fiducialiter apprehendente, vivant, quamdiu in hac vita sunt, manet illud peccatum, de quo Paulus *Rom. VII. 18. seq.* conqueritur, & cum in illos cadit, quod Paulus ad *Gal. V. 17.* dixit, habent quotidie super quod regnare possunt ac debent. Est autem ea voluntatis humanæ conditio, ut certum quasi habeat idolum, cui præ reliquis sacrificia sua peccaminosa offerat; id est, voluntas hominis ex tribus illis vitiis cardinalibus, uti morum Doctores loqui placet, unum potissimum habet, cui præ ceteris dedita & ad quod majori impetu quam ad reliqua impellitur, quo fit, ut unus ad vitiosam voluptatem; alter ad noxiam avaritiam, alius ad vanum gloriæ studium maximopere pronus sit. Verum enim vero pro uti illecebræ illæ voluntatem hominis regeniti ad hoc vel illud vitium invitant, ita dominium illud regium & spirituale contra pravos affectus voluntatis est adhibendum, primi motus peccati originalis statim sunt supprimendi, voluntas ita coercenda, ut nihil nisi pium, justum & in verbo divino, neque *κατὰ ῥητόν*, neque per bonam consequentiam prohibitum appetat. Atque sic intelligimus quare Apostolus Paulus, christianorum dominium spirituale respiciens carnis non tantum sed & concupiscentiarum crucifixionem, *Gal. V. 24.* tam significanter expresserit. Nonne ergo tam utile, quam necessarium illud dominium spirituale est, quod fideles tanquam reges spirituales super semetipsos instituire tenentur? Legi merentur quæ Salomon sapientissimus ille morum Præceptor de hoc officio regio dicit *Prov. XVI. 32.*

Der seines Muths Herr ist / ist besser / denn der Städte gewinnet / non tam juxta versionem LUTHERI, quam juxta fontem hæc verba sunt alleganda, ita enim in fonte sonant: *ומשל ברוחו מלכר עיר*
 Wer ein Herr ist seines Geistes / das ist / aller seiner Affecten und Gemüths-Bewegungen / wer sich selbst kan beherrschen / zwingen und im Zaum halten / der ist besser / denn der Städte gewinnet. Juvat & alios huc referre, qui utilitatem pariter ac necessitatem hujus domini regii sibi cognitam fuisse verbis suis declararunt. CHRYSOSTOMVS primum inter illos locum hic obtinet, qui dicit: *quod ille re vera dominetur, qui pravas suas cupiditates coerces, & quod in sensu proprio dominetur, quam is qui regium diadema portat.* Et GREGORIUS scribit: *Sancti viri jure meritoque juxta Scripturam Sacram reges appellantur, quia omnibus motibus carnis præfecti sunt, & mox has mox illas cupiditates supprimunt &c.* Vide GREGORII Mag. Moral Lib. 26. Cap. 26. fol. 219. Et quem nondum omnium historiarum cepit fastidium, legat hic quæ TAULERUS in *Medulla anim. p. 498.* narrat quando dicit: quod pauper quidam & infimæ sortis homo, a docto interrogatus sit. Qvis sit? Respondit: Sum Rex; doctus ille ulterius quæsiuit: *Ubinam est regnum tuum?* pauper regessit: *Regnum meum est anima mea, nam ita sensus meos internos & externos regere possum, ut omnes cupiditates & facultates animæ meæ mihi subjectæ sint, & bocce regnum majus est, quam regnum aliquod in orbe terrarum,*

§ XIII.

Homo autem ut ex duabus partibus essentialibus constat, ita etiam dominium illud spirituale non solum super animam, sed & super corpus ejusque membra est exercendum. Possimus quidem mea sententia officium illud christianorum regium, quatenus ad corpus ejusque membra extenditur, silentio præterite, quia dominium spirituale super animam; illud super corpus ejusque membra non excludit sed includit. Nam uti pravi motus supprimuntur, ubi cupiditates malæ suffocantur, ibi homo regenitus membris suis quatenus, & quamdiu regenitus est, non abutitur, imo non ad mala, sed ad bona opera, non ad illicitas, sed ad licitas actiones illis utitur. Corporis enim membrorumque usus & motus ab anima dependent, & nisi membra nostra

a pravis animæ cupiditatibus ad hæc vel illa peccata impellerentur, membra nostra se non extenderent ad peccata perpatranda. Verum enim vero cum quam plurima Scripturæ S. dicta memoriæ succurrunt, in quibus Spiritus Sanctus, & quoad corpus ejusque membra dominium illud spirituale quam maxime commendat; pauca saltem verba adjiciam de dominio illo spirituali, quatenus super corpus ejusque membra exercendum; cum nimirum ipsa sacra pagina de regnandi modo satis perspicue loquitur. Inter palmaria Scripturæ Sacræ dicta de officio christianorum regio erga corpus ejusque membra, loquentia, sequentia refero. Ex V. Testamento *caput XVI. Proverb.* in memoriam revoco, in quo Regum Sapientissimus *versu 30.* potissimum ostendit, quomodo homo, spreto officio suo regio, membris suis ad peccandum abutatur. Ex N. Testamento Pauli verba legamus, quibus *in Epist. ad Romanos cap. VI. versu 13. & 19.* officium regum erga membra corporis observandum sat emphatice præcipit, & uti *v. 21.* de damno illorum loquitur, quo illi afficiuntur, qui officio suo regio non satisfaciunt, ita *v. 22.* de commodo disserit, quod in illos redundat, qui ita ut par est officio suo regio erga corpus ejusque membra funguntur. Quamvis nunc adhuc plura alia Scripturæ Sacræ loca ad officium regum circa corpus observandum pertinentia, in medium proferre, & ex illis ostendere possem, quomodo officium illud regum, circa præcipua corporis membra articulatim sit observandum: Lineam tamen hic duco, & eam omnium locorum Biblicorum huc pertinentium facio summam: Quod officium christianorum regum, a Regibus spiritualibus, ita circa corpus ejusque membra sit exercendum, ut corpus maneat vas sanctificatum, ut membra non sint arma nequitiae sed justitiae, ad illud maximopere tendentia, quod in lege divina præceptum est, & per quod gloria Dei proximique utilitas promoventur.

S. XIV.

Considerato dominio, quod christianus in semetipsum exercet, *mundus* in censum venit, quia & super illum fideles regnare tenentur, ut reges spirituales. Ast quæritur jam, *quid hic per mundum intelligendum, & quomodo dominium illud spirituale super mundum sit instituendum?* per mundum hic non intelligimus totum illud mundi

mundi

mundi systema, quod vulgo cœlum & terram dicimus, nam cœlum & quod sub nomine cœli comprehendimus, imperio & dominio solius omnipotentis Dei subiectum est, & quidem ita ut in cœlestia, neque corporale, neque spirituale dominium nobis competat, terram vero nostram habitabilem, ita inter homines distributam videmus, ut quidem quibusdam, non vero omnibus promiscue hominibus æquale in illam dominium seculare competat; ergo in alio sensu hac vice mundi vocabulum accipiendum esse, quotusquisque est qui dubitat? Loquor hic cum celeberrimo & jam beato Domino D. BUDDEO, qui in Theologia sua Morali Part. I. Cap. II. §. 29. *Mundi nomine, omnia objecta, quæ in hac rerum universitate continentur & cupiditates hominum irritare possunt, intelligit, sive sint decora, utilia, jucunda, quorum quo major ampliorque est numerus, eo majori per ea periculo homo est expositus, ut quocumque se convertat, laqueos velut conspiciat, quibus irretitus detur in præceps. Conf. 1. Job. II. 15. 16. quæ cum ita sint, nemo nos erroris accusare poterit quando dicimus, quod hic potissimum per mundum impios & irregenitos hujus mundi homines intelligamus, Job. XVII. 9. & Job. XVI. 20. quorum respectu etiam ipse Diabolus Princeps mundi dicitur Job. XIV. 30. super illos enim dominium suum exercet, & in illis quam maxime operosus est. Unde autem hoc quod impii ac irregeniti mundi nomine veniant? Tres adducere libet hujus denominationis rationes, quarum I) quia in irregenitis & infidelibus, quatenus & quamdiu sunt irregeniti, fides a Spiritu Sancto non est accensa, sed sunt ex parte mere carnales, mere terrestres homines, & quamvis ex parte gratia illuminante quoad intellectum præditi sint, tamen eatenus & illi sunt carnales, quatenus secundum pravos carnis suæ motus volentes, & magna cum voluptate vivunt. II) Quia hujus farinae socii, nimirum impii & irregeniti maximam proh dolor! in mundo hominum partem constituunt. III) Quia plerumque instar pecorum, vel plane nulla, vel non sufficienti instituta deliberatione, mundi illecebras sequuntur & secure in diem vivunt.*

§. XV.

Non autem hic incitato, ut ajunt equo ad considerationem modi hujus domini regii super mundum properamus, sed quærimus

rimus

rimus primum, quis sit acquisite & restaurator hujus spiritualis super mundum dominii? Ecce ille est, qui ipse *Joh. XVI. 33.* dicit: *ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἔχετε, ἀλλὰ θαρσείτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον.* Persona loquens est Christus Salvator noster, uti ex toto allegato capite constat, huic acceptam ferimus omnem nostram salutem, hic nobis acquisivit, & ipse instituit salutis nostræ media, huic etiam acceptam ferimus omnem nostram supra hostes spirituales victoriam, ergo & victoriam supra mundum. Legamus nunc Apost. Petri sententiam, qui *2. Petri II. 19.* dicit: *a quo quis victus est ejus est servus,* nunc autem mundus a Christo victus & debellatus est, ergo mundus est servus Christi, & cum Christus nil quicquam sibi, sed omnia nobis acquisivit, omnes etiam hujus victoriæ commodis frui, & ipsius Christi victoriæ participes fieri possumus.

§. XVI.

Sacram paginam tanquam cynosuram qui sequitur, facillimo negotio videre potest, qua ratione Christi victoria nostra fieri potest ac debet victoria: Johannes enim dicit *1. Epist. V. 4. 5.* *fides nostra est victoria, qua mundum vicit.* Est ergo fides medium illud per quod palmam quasi mundo præripere possumus, & quidem sequenti modo, dum nimirum per veram fidem totum Christum, totumque ejus meritum cruentum apprehendimus nobisque applicamus, totius ejus victoriæ simul sumus participes, quam & super mundum deportavit. Nonne autem fides nostra salvifica mundum vincere potest? quæ illum apprehendit Christum, a quo mundus diu est subactus & prostratus. Nonne vera fide nostra mundum victum tenemus, qua unice Christi perfecta super mundum victoria fit nostra? Si vero Christi victoria est nostra, mundus etiam a nobis victus, & quod nostris viribus fieri non poterat, per Christum fide apprehensum nobisque applicatum fecimus. Exercitium autem dominii illius sive officii regii super mundum quod attinet, varium illud est & vario modo instituentium, pro diversitate nimirum mundi objectorum, mundi tentationum & mundi seductionum. Celeberrimus Dn. D. BUDDEUS, & hic causam nostram dicit, quando in jam laudata Theologia sua morali *Part. I. Cap. II. §. 32.* dicit: *Mundi tentationes totuplices sunt, quæ sunt objecta, cupiditates mortalium movere apta.* Videamus autem
C
quanta

quanta fieri potest brevitatem, quasdam saltem species mundi tentationum & aggressionum, quo & meliori & clariori modo diversitatem exercitii hujus officii regii in apricum dare queamus. Quotus igitur quisque est, qui ignorat, quod mundus quam sæpissime externo suo splendore, circa has vel illas illicitas actiones cordibus fidelium philtrea illa mundana exhibeat? An quomodo hic officium illud regium a regibus spiritualibus est rite recteque adhibendum? Larva, mea sententia, mundo est detrahenda, quo vanitatem illius eo penitus introspeciamus, & cognoscamus quid sit τὸ γῆμα τῆ κόσμου τούτου, 1. Cor. VII. 31. & quod transeat mundus cum splendore suo 1. Job. II. 17. quod noceant denique animabus philtrea illa mundana, 1. Job. II. 15. Jac. IV. 4. quo magis autem philtrea illa sunt perniciofa, eo minus sunt accipienda sed rejicienda, conculcanda, tanquam noxia & virus æternæ damnationis in se continentia. Non autem hic unicus modus est, quo mundus animas fidelium & sanguine Jesu Christi per fidem purgatas, illecebris corruptelarum irretire allaborat, sed mox pravis exemplis, mox verbis ad depravandum paratis, in illas periculosos facit impetus. An exerceatur & hic ita ut par est officium illud regium. Mundus pravis exemplis si nos corrumpere studet, officii nostri regii ratio postulat, ut actiones non exemplis sed legibus dijudicemus, odio persequenda & averfanda sunt omnia exempla legi divinæ adverfa & in præcipitia nos ducentia, ea contra exempla sunt imitanda, quæ bona, legi divinæ conformia, & a vere piis fidelibusque nobis data. Verbis autem, quibus impii fidelium animos venenare cupiunt, reges spirituales, si recte regnare volunt, ne aures quidem præbent, sed econtrario illos ad meliorem frugem reducere fatagunt, verba illorum refutando, rejiciendo, damnando. Et si denique universa mundi cohors contra fideles surgit, omnia dictæria in illos effundit, maximisque persecutionibus illos premit, reges tamen spirituales, saltem quoad interioris cordis conclave, tranquille vivunt, optime scientes, se sub clypeo Jesu Christi Regis sui æterni protegi posse; non privatam sumunt vindictam, sed ei omnia committunt, qui ut iudex justissimus mundum judicabit, qui ipsemet dixit, mihi competit vindicta, ego sum remuneraturus, Deut. XXXII. 35. quid multa?
exem-

exemplum Salvatoris & Regis sui supremi sequuntur, qui mala malis non compensavit, sed ardentissimas pro inimicis suis, & pro mundo preces ad Patrem suum fudit, & certo certius sunt persuasi, quod illis qui Deum sincere amant omnia in bonum vergant, *Rom. VIII. 28.* Ita nunc reges spirituales super mundum regio suo officio funguntur.

§. XVII.

Tandem denique ad illud progredimur officium regium, quod reges spirituales super mundi principem, seu ipsum diabolum exercere debent. Non justo prolixiores circa eam quaestionem erimus, *utrum plures uno dentur mundi Principes?* plures quam unum esse diabolum inter illos omnes constat, qui norunt, non unum sed quam plurimos Angelos esse lapsos, unde etiam Apostolus Judas non dicit *Angelus*, sed *angeli* non retinuerunt principatum suum, sed domicilium suum reliquerunt, *Jud. v. 6.* ex quo ita argumentamur: Si plures uno Angeli sunt lapsi, plures uno etiam dantur mundi principes. Argumento huic Apostolus Paulus multum roboris addit, quando in Epistola ad *Ephes. VI. 12.* dicit: *ὅτι ἔκ ἐστὶν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τὰς κοσμοκράτορας τῆς σκοτίας τῆς αἰῶνος τούτης, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπιφανείοις.* Quid verbis hisce clarior? quid magis perspicuum? D. enim Apostolus docet, nobis luctam esse, *πρὸς τὰς ἀρχάς*, ubi autem sunt *πολλαὶ ἀρχαί*, multi principatus ibi etiam sunt *πολλοὶ ἀρχηγοὶ*, multi principes & ubi sunt *πολλοὶ κοσμοκράτορες*, quos Apostolus ostendit, dum in numero plurali loquitur, ibi argumentum nostrum est extra controversiam positum; interim non negamus, supremo omnium diabolorum principi, ab ipsis Satanæ instrumentis Beelzebub dicto, nomen hoc *κατ' ἐξοχὴν* competere. In quanto nunc etiam numero mundi principes regnant, subditis tamen suis, quod mirum est, non sunt destituti, maxima enim hominum pars non Christi, sed Diaboli castra sequitur, plurimi mortalium non sunt reges spirituales, sed subditi & mancipia Satanæ, & ô nos felices, quod Christus in carnem venit! ante Christi enim adventum diaboli potestas ad summum quasi repserat fastigium, ast Christo adveniente obmutescabant gentium oracula, copiae diaboli magis magisque

in angustias ducebantur, donec tandem castris plane exuebantur. Et si quem juvat uberius contemplari, quanta sit nostra extra Christum miseria, consideret mecum velim, quod nos omnes extra Christum considerati ob peccata nostra simus mancipia Satanæ, & regni ejus Satanici subditi. Christus autem redemit illos, qui timore mortis per totam vitam servituti obnoxii erant *Hebr. II. 15.*

§. XVIII.

Ex jam dictis patet, quis & hic auctor sit nostræ super Diabolum victoriæ, nostræ liberationis & redemptionis, solus Rex regum & Salvator noster Jesus Christus, hic in arenam quasi cum diabolo descendit, & alias inauditum cum eo certamen inivit, & quoties Christus a diabolo aggressus est, toties ei ostendit, se illum esse redemptorem, qui super pulverem stare vult & potest. Et licet Rex noster Christus Jesus per instrumenta hostis hujus gehennalis cruci affixus & morti traditus sit, in cruce tamen & morte non mansit, sed ut Princeps vitæ & Dominus gloriæ perfectam deportavit victoriam. Christus enim in cruce exaltatus est, ut Diabolus lapsu graviori ruat, hic erat finis incarnationis suæ ut nimirum opera diaboli destrueret *1. Job. III. 2.* hunc finem etiam indicat *Job. XII. 31.* quando ibidem paucis diebus ante mortem suam dixit: *νῦν ὁ ἄρχων τῆς κόσμου τούτου ἐκβλήθησεται ἔξω*, his & præcedentibus verbis indicat Salvator, quod jam tempus instet, quo homines in mundo, qui propter peccata de jure potestati Satanæ subditi, in libertatem debeant vindicari, & quo tempore Princeps mundi quasi proscriberetur & in exilium pelleretur, ne post mortem Christi, ita ut ante illam dominetur. Conf. GERHARDI harmoniam, & HUNNIUM ad hunc locum. Et hæc a Christo non tantummodo dicta, sed etiam facta sunt; contrivit caput serpentis, exuit principatus & potestates *Col. II. 15.* hanc autem victoriam Christus non in suam, sed in nostram rem ex certamine cum diabolo deportavit, quid igitur mirum, quod & nos tanquam reges spirituales super mundi principem regnare queamus, victoria Jesu Christi & hic nostra est. Audiamus de hac veritate Apostoli Pauli testimonium, qui *1. Cor. XV. 57.* dicit: *Deo sint grates, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Exultate igitur omnes quotquot estis reges spirituales, victoria Christi est

est nostra, hostes debellati sunt omnes, præda hujus certaminis est nostra, possumus ergo & debemus super mundi principem regnare, nam ita argumentor: Si nobis victoria a Christo & per Christum ita est data, ut Satanus cum principibus suis nostri sint captivi facti, sequitur ut diabolus noster servus, nos vero illius simus domini; dominorum autem cum est dominari & regum regnare, officium nostrum regium omni jure postulat, ut & nos super diabolum regnemus. Regnamus autem super Satanam, quando ut vere fideles cum Christo per fidem firmiter uniti ad ejus machinationes & insidias nullo modo contremiscimus. Regnamus super Satanam, quando illum adversus nos surgentem, precibus & sanguine Jesu Christi fiducialiter apprehenso, statim repellimus & in carcerem suum relegamus. Regnamus super Satanam dum & alios fideles & vere pios christianos, precibus nostris ex sincero pectore ad Deum fufis, ut & fidei institutione ab immundo hocce spiritu liberamus. Regnamus super Diabolum, dum certi sumus, illum nobis absque peculiari Dei concessione & permissione, ne minimam quidem vim inferre posse. Regnamus denique super Diabolum in & per Christum vi unionis mysticæ, Christus enim cum quo unum corpus mysticum constituimus, est caput nostrum spirituale & regnat super Diabolum, ergo nos, qui sumus membra ejus, ut regnemus necesse est, nam super quem caput regnat, super illum simul membra ejus regnant. Hinc quoque vere fideles gloriari possunt, quod neque mortem timeant, neque infernum exhorrescant; dum enim Christus utriusque victor extitit, cum Paulo exclamare possunt: *Ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria?* 1. Cor. XV. 55. Pertinent quoque ad regiam hanc Christianorum dignitatem confirmandam verba Apostoli, quibus fideles alloquitur 1. Cor. III. 21. 22. 23. *Omnia vestra sunt. Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive MORS, sive presentia, sive futura: omnia vestra sunt: Vos autem Christi: Christus autem est Dei.* Novimus: Christum habere *claves mortis atque inferni.* Apoc. I. 8. Ergo in Christo, & cum Christo quoque dominium exercere fidelibus concessum est in mortem atque infernum.

§. XIX.

Quod reliquum est, ad duas respondebimus quæstiones, quæ

circa thema hactenus tractatum non absque omni usu formari
 queunt. Dixi in §§ proxime præcedentibus de officio christia-
 norum regio super diabolum, docui ex sacra pagina, diabolum
 esse ejectum a Christo; demonstravi, diabolum esse ita debella-
 tum, ut non noster dominus sed servus noster, non Princeps
 sed captivus noster sit. Jam autem quæritur: *Unde adhuc in sa-
 cris literis diabolus Princeps dicatur, & quomodo adhuc dominium suum
 super innumeros ferme homines exercere queat, cum tamen a Christo capti-
 vus ductus est, & adhuc ducitur?* Putaret enim quisquam, cum ejus-
 modi misera conditione Diaboli, nullum dominium posse confi-
 stere? Ast respondeo, quamvis diabolus ante pœnæ suæ com-
 plementum, quod demum in die extremi judicii nanciscetur, qua-
 dam adhuc gaudeat in mundo libertate, quamvis adhuc in homi-
 nibus infidelibus & tenebrarum opera amantibus operosus sit,
 unde etiam adhuc mundi princeps dicitur, & quamvis etiam quo-
 tidie ut leo rugiens circum fideles ambulet, eos magno furore
 allatret, omnemque det operam, ut etiam fideles iterum potestati
 suæ subjiciat: Est tamen & manet diabolus de jure captivus &
 servus omnium vere fidelium, & hi sunt illius domini, quia De-
 us illis victoriam super diabolum dedit per Dominum nostrum Je-
 sum Christum. Licet autem fideles in hoc mundo nondum actu
 perfectum dominium super diabolum exercent, est tamen &
 manebit illis quamdiu in fide manent non jus tantum ad perfe-
 ctum hocce dominium, quodque etiam perfecte super diabolum
 exercebunt, quamvis non in hac saltem in futura vita, sed etiam
 varios exercent in hac vita hujus domini actus, adeo ut virtute
 Christi Diabolum sub pedibus suis toties conculcent, quoties fide
 victoriam, ipsius contra machinationes, obtinent. Dicis autem,
 Diabolus quotidie contra fideles insurgit, & instar canis rabidi in
 illos sævit, ubinam est, & quid prodest fidelium super Diabolum
 dominium? sed respondeo per instantias: rebellis qui contra
 Principem suum arma sumit eique temere mortem minatur, est
 & manet nihilominus subditus quamvis se sistat rebellem, & Prin-
 cept eundem ad obsequium reducere potest. Servus immorige-
 rus, qui periculum facit jugum servitutis hoc vel illo modo ex-
 cutere, est & manet servus, quamvis domino suo obedientiam &
debita

debita officia deneget, eumque quocunque modo offendere paratus sit, Dominus enim si jure suo atque viribus debite utitur, eundem coërcere potest. Fiat applicatio horum exemplorum ad fideles eorumque super Diabolum dominium. Jus ad dominium est penes fideles, quamvis in hac vita nondum perfecte officio suo regio super Diabolum fungantur, possunt tamen fideles etiam in hac vita Diabolo virtute Christi resistere, eundemque ita compescere, ut nullam ipsis exitialem noxam inferre queat. Commode proinde comparatur cum Principe quodam in spem imperii genito, hic Dominus est omnium provinciarum patri suo subjectarum, est Dominus omnium populorum a Patre armata manu victorum, propter ætatem autem dominium suum, ita ut par est nondum potest exercere, nihilominus manet penes illum jus ad plenarium patris sui dominium, & si ipsi actuale quoque dominium fuerit a Patre concessum, tunc quoque pro viribus illud exercet, his vero deficientibus, Patris auxilia sibi expetit ac invenit paratissima. Illustrari quoque hæc possunt exemplis ex Sacra Scriptura petitis. En Tibi L. B. in illa exemplum Jacobi, hic acceperat jus primogenituræ ab Esavo fratre suo, nihilominus tamen multa dura & adversa a fratre suo perpeffus, imo fuga sibi consulere conatus est, his tamen non obstantibus successu temporis posteri Jacobi, & quidem temporibus Davidis sufficienter demonstrarunt, sibi non tantum jus esse ad dominium in Edomitas, sed & illud actu se exercere posse, quamvis non semper æq; perfecte exercuerint. David erat Rex & Dominus impii istius Simeï, nihilominus Simeï iste Regem ac Dominum suum lapidibus petiit, & quod magis est, ei maledixit. 2. Sam. XVI. 6. Cum vero David regno suo restitutus esset, iste Simeï dominium ipsius quoque venerari necessum habebat. Applicatio est facilis, adeoque hæc de prima quæstione sufficient.

§. XX.

Quæritur II) Quare non hodie, uti in primitiva ecclesia regum spiritualium super Diabolum potestas ac dominium eorum sese extendant, ut omnes ac singuli fideles, sine discrimine & nullo habito eorum respectu queant adhuc, facta solius nominis Jesu crucifixi mentione, quoscunque corporaliter obsessos, ab obsessione Diaboli liberare, & Diabolum ex illis unico

man-

mandato pellere & relegare s Quod christiani in primitiva ecclesia, etiam hoc modo dominium suum super Diabolos exercuerint, facile est creditu, testatur hoc JUSTINUS MARTYR, Ecclesiae Pater, qui non multo post tempora Apostolorum vixit, dicens: *quod adhuc tempore suo Diaboli, quoties illis in nomine Jesu crucifixi cedere jussum est, corpora obsessorum statim reliquerint.* Idem testatur TERTULLIANUS dicens: *procedat coram tribunalibus vestris obsessus quidam a Diabolo, Diabolus a quocunque christiano se expelli pati debet.* Et quamvis Lucas in Actis Apostolorum dicat de incantatoribus *cap. XIX. 13.* quod Dæmones ejicere non potuerint, factum tamen hoc ideo tantummodo omissum est, quia incantatores illi non reges spirituales fuerunt. Quid autem causæ, quod hodie eo usque fidelium super Diabolum dominium sese non extendat? Respondeo cum B. LUTHERO nostro ex *Tomo VIII. Altenburg. pag. 910:* *Nachdem das Evangelium nunmehr ausgebreitet/ und aller Welt kund worden ist/ ist nicht mehr von nöthen Zeichen zu thun/ als zu der Apostel Zeiten &c.* Qui igitur ecclesiam plantatam a plantanda distingvit, facillimo negotio ad quæstionem hanc respondet, magna enim est differentia inter hæc & illa tempora, hodie evangelium apud omnes ferme mundi partes est pervulgatum, tunc temporis autem, horum respectu temporum inter paucos homines de evangelio ejusque virtute divina certo certius constabat. Et hæc ratio est, quare vera ecclesiae primitivæ membra miraculorum celebritate prædita fuerint, & ea opus habuerint? ut nimirum hominum a Deo & sanctorum cœtu abalienatorum animi, eo citius ad assensum raperentur sacro Evangelio debitum, & spiritualis Zionis muri celerrimo Evangelii cursu, & efficaci miraculorum usu, ea qua fieri poterat celeritate, amplificarentur. Dato hac ratione ad quæstiones propositas responso, filum tractationis hujus abrumpo, faxit Numen supremum ut & pauculæ hæc lineæ vergant in nominis sui gloriam.



Coll. d. ins. A. 188, 22